





DE 1755, 2 a 13/1  
CAVSIS PERSECVTIONVM  
AROMANIS CONTRA CHRI-  
STIANOS EXCITATARVM  
DISSERTATIO PERIODICA POSTERIOR

QVAM

P R A E S E S

EBERHARDVS HENRICVS DANIEL STOSCH  
S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE IN ACAD. VIAD. PROF.  
PVBL. REG. ECCL. REFORM. INSPECTOR ET PAST.  
PRIMARIUS, ALVMN. TRANSYLV. EPHORVS ET  
SCHOLAE FRIDERICIANAE CVRATOR, FA-  
CVLT. THEOLOG. h.a. DECANVS.

ET

RESPONDENS

IOHANNES IACOBVS HOFFMANN,

FRANCOFVRTO - MARCHICVS,


PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T V N T

D. MARTII MDCCCLV.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOS R.



ILLVSTRISSIMO AC CLEMENTISSIMO  
PRINCIPI  
**JOHANNI CAROLO**  
PRINCIPI  
CAROLATHENSI ET BEVTHANIENSI  
SACRI RÖMANI IMPERII  
COMITI  
DE SCHOENAICH

DOMINO IN AMPTITZ, STÄRGARD, DOBBERN, MEL-  
LENDORFF, PADLIGAR, OSTERITZ, TAR-  
NAV, GIERSDORFF,

RELIQVA

SERENISSIMI ATQVE CLEMENTISSIMI REGIS  
PRUSSIAE MINISTRO STATVS INTIMO, REGIMINIS  
REGII, ET CONSISTORII SVPREMI ECCLESIASTICI  
PER DVCATVM SILESIAE PRAESIDI SVMMO OR-  
DINIS A QVILAE NIGRAE

EQUITI,

PRINCIPI ILLVSTRISSIMO AC CLE-  
MENTISSIMO

DOMINO SVO BENIGNISSIMO  
MAECENATI INDVLGENTISSIMO  
HANC DISSERTATIONEM ACADE-  
MICAM


IN GRATISSIMAE AC DEVOTISSIMAE MENTIS  
TESTIMONIVM

RVMILLIME DICAT

JOHANNES IACOBVS HOFFMANN,

S. E. TH. C.







§. I.

Quæ præcedenti Disputatione, de persecutionum a Romanis contra Christianos excitatarum caussis differimus, ea omnino ita compara sunt, ut de summa Christianis illata iniuria quemcunque convincere possint. Vism tam nobis est, ut omnibus qui forte suboriri possint scrupulis penitus occuratur, rem paulo altius repeteret, atque ex omnium gentium, præcipue vero Romanorum historia, deducere, quomodo sensim veræ religionis odii semina inter homines sparsa fuerint, eaque tandem in apertas ob religionem persecutions, quibus ad sua sacra alios cogere tentarunt, eruperint. Cujus quidem argumenti ulteriore illustrationem tanto magis necessariam duximus, cum inter recentiores christianæ religionis adversarios, non desint, qui persecutionum religionis causa excitatarum, longe alias easque ab omni veritate remotas nobis origines pandunt, omnemque inusitatæ ejusmodi crudelitatis culpam, in veræ sanctissimæque religionis, quæ a Christo nomen habet, culto-

res devolvere volunt, qui primi omnium, mutuis inter se  
odis et armis frevire, pulchrum et sanctum duxerint, dum  
antea cuilibet secure, secundum propriæ conscientiæ dicta-  
mina, Numen colere, inter gentiles licuerit. Licebit igitur  
mihi in hæc omnia præsenti dissertatione brevibus inquirere,  
qua quidem ostendere conabor, non solum falsum esse, quod  
gentiles mutuam erga quosvis in religione dissentientes, to-  
lerantiam exercuerint, sed et eam quam in ipsis tot enco-  
miis ornare multi solent, tantum abesse, ut illis honori ce-  
dere possit, ut potius, si ad veras ejus causas verosque fon-  
tes attendatur, ignominiae et dedecori sit. Unde tandem  
efficiemus, eorum erga Christianos intolerantiam, et quibus  
in eos a Romanis præcipue sævitum fuit, supplicia, ma-  
gno christianæ religioni honori cedere, atque non obscu-  
rum cuivis pro veritate, et præcellentia ejus præ omnibus  
quæ unquam humanum genus tenuit Sacris, argumentum  
præbere.

## § II.

Qui verae religionis naturam et indolem vel medio-  
criter tantum perfectam habent, illi facile nobiscum senti-  
ent, odia et persecutio[n]es, originem ab ea trahere non  
posse, utpote quæ sibi uno supremo Numine, omnium Crea-  
tore et Parente, omnium inter se animos, vinculo charita-  
tis jungit; adeo ut si ea sola in orbe terrarum obtineret, op-  
inionum quarundam et rituum diversitas, non impeditret, quo  
minus æterna inter homines pax futura esset. Persecutio-  
num igitur religionis causa excitatarum fontes in introductis  
ab hominibus falsis et ementitis sacris, earumque primordia,  
in illis temporibus querenda sunt, in quibus a vero unius  
summi

¶ ( ¶ )

7

summi Numinis cultu quam maxime deflecti coeptum est,  
aliorumque, præter illud, Numinum cultus, pro cuiusvis  
gentis indole, introductus fuit. Unde mihi quidem non ad-  
modum probabile videtur, persecutionum religionis causa,  
initia a temporibus antediluvianis repetenda esse. Certum  
enim habeo, homines tum nondum a vera religione penitus  
defecisse, neque in stultam idololatriam, aut pudendam si-  
perstitionem prolapsos esse, neque novam quandam a pri-  
meva religione discrepantem religionis formam introduxit-  
se, quam ab omnibus suscipiendam voluerint. *Corruptio-*  
*viarum*, quam Scriptura Gen. VI, 12. in illis improbat, in  
eo consistebat, quod vitam agerent, totam præsenti Seculo  
deditam, secundum ἐπιθυμίαν τῆς Φθορᾶς ἐν κόσμῳ 2 Petr.  
I, 4. *τράγοντες, καὶ πίνοντες, γαμίζοντες καὶ ἐνγαμίζοντες*  
Matth. XXIV, 38. et in ejusmodi carnis et vani hujus mun-  
di voluptatibus, supremam suam felicitatem collocantes, ab  
uno deliciarum genere ad aliud continuo transeundo; fere  
uti nunc, haud exiguus Christianorum veram cæteroquin re-  
ligionem profitantur, aliorumque, qui in verae religionis  
indagatione, cæteris se sapientiores credunt, numerus, vi-  
tam consumere solet. Qui vero ita affetti sunt homines, ob  
diversas quasdam circa Numen opiniones, non facile inimi-  
citas inter se alent. Hinc quoque etiamst Moïse teste Gen.  
IV, 26. pii Dei cultores sese a mundo jam tum separare co-  
perint, non tamen, (Caini enim fratricidium hoc non per-  
tinet) propterea vexati fuere, cum Gen. VI, 2. ne quidem  
filiarum repulsam tulerint, nec ipse Noachus, vicia eorum  
graviter objurgans, et ad resipiscitiam severis concionibus  
vocans, aliquid sibi duri ab illis metuendum habuerit. Post  
dilu-

diluvium, cum veræ religionis præcipua capita, et unius veri Dei cultus, per duo sâtem prima Secula, ubivis adhuc obtinerent, ea quæ forte in aliis quibusdam religionis capitibus jam introducta erat diversitas, non impedivit, quo minus amice inter se homines viverent; unde Abrahamus inter Cananæos, Ægyptios, Philistæos Gen. XII. XIV. XX. Lothus inter Sodomæos Gen. XIII. et reliqui Patriarchæ, easdem inter gentes, libere verum Deum coluerunt.

## §. III.

Mutata tamen circa eadem fere tempora et paulo post rerum facies fuit, cum post formatas societas civiles, coalitasque res publicas, illi penes quos supremum in societate civili imperium erat, supremam quoque circa Sacra potestatem ad se pertinere censerent. Scilicet ante societatum civilium, rerum publicarum, et regnum ortum, quælibet familia, primum stirpis Autorem, quasi Principem et Regem habebat, eique quoque Sacerdotis officium, omniumque quæ circa religionem curanda erant, jus, tribuebat. Post institutas vero res publicas, fundataque imperia, ubi plures familiae in unius transibant potestatem, atque imperii civilis summam in eum devolvebant, e re horum Societatis civilis capitum imo quoque ipsius societatis, visum fuit, jus Sacrorum, quo familiarum Principes utebantur, ipsis pariter solis vindicare, totamque, quæ ipsis parebat Societatem, tanquam quæ una nunc tantum familia esset, ad eadem sacra obstringere. Hinc, vel ipsis hi Principes Sacerdotum munia obabant, aut alios constituebant, qui eorum nomine et autoritate, res Sacras totumque Numinis cultum curarent, id quod primam peculiari



liafi cuidam Sacerdotum in rebus publicis ordini, originem  
ad huc dedit. Utriusque exempla, antiquissimarum gentium histo-  
ria suppeditat. MELCHISEDECVS Rex Salemi, Sacer-  
dos simul erat Dei altissimi Genes. XIV, 18. De Rege La-  
tinorum A N I O, Virgilius Æneid. III.

*Rex Anius, rex idem hominum Phœbique Sacerdos.*  
ad quæ verba SERVIVS notat: Sane majorum hæc erat con-  
fuetudo, ut rex esset etiam sacerdos vel pontifex. Dido pa-  
niter apud Virgilium, ipsa, sacra fecisse proponitur:

*Iunoni ante omnes cui vincla jugalia curæ*

*Ipſa tenens dextræ pateram pulcherrima Dido*

Candentis vaccæ media inter cornua fundit.  
et apud Pindarum, antiquissimus Cypriorum Rex, Cinyras, Sa-  
cerdos simul Veneris suisse memoratur Pyth. v. 11. 24. seq.

κελαδέοντι μὲν ἀμφὶ Κυνί-  
ραν πολλάκις Φέιμαι Κυπρίων, τὸν  
Χρυσοχώριτα προφρόνως  
ἔφιλατ' Ἀπόλλων,  
ιερέα κτίλον ἀφροδίτας.

Resonant quidem circa Cinyram sæpe laudes Cypiorum, quem  
antiquus propense dilexit Apollo, Sacerdotem Principem Vene-  
ris. Quem antiquum morem imitatus Romulus, dum  
Romanam rem publicam fundaret, omnem circa Sacra pot-  
estatem, penes Regem esse voluit. DIONYS. HALICAR-  
NASS. L II. pag. 87. His constitutis, honores et potestates  
in singulos ordines distribuit. Regi quidem eximia munia  
fuerunt hæc: πρῶτον μὲν ιερῶν καὶ θυσιῶν ἡγεμονίαν ἔχειν,  
καὶ πάντα δι εἰκεῖνος πράττεθαι, τὰ πρὸς τύς θεῶς ἔργα.  
Primum, ut sacrificiorum et reliquorum sacrorum penes eum  
et principatus, per eumque gereretur, quicquid ad placan-  
dum Deos attinet. Unde quoque hac auctoritate usus Ro-

mulus, templorum et areas sacras, arasque, ac signorum aedicularum, tum corundem simulacrorum effigies et insignia, præterea vires et dona quibus de nostro genere bene sunt meriti, festa item, quæ cuicunque Deorum, dæmonumque celebrari convenit, et sacrificia quibus apud homines coli expetunt - - insituit, ibidem p. 96. quæ omnia deinde primus Pontificum, ita tamen ut omnia e nutu Regis ageret, curavit. Ita certe LIVVS, L. I. C. XX. de Rege Numa refert: *Pontificem deinde Numam Marcium ex Patribus legit, eique Sacra omnia exscripta exsignataque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templo Sacra fierent.* Et ita quidem res fæcili omnibus fere rebus publicis habuit, ut primo quidem ipsi Reges ac Principes Sacris vacarent, deinde autem, præcipue post longe lateque regnorum fines extensos, peculiarem Sacerdotum ordinem constituerent, qui autoritate et nutu Principum Sacris operarentur. Unde apud Romanos, Cæsares Pontificis Maximi quoque honorem ac titulum, sibi tribuendum duxerunt secundum illud OVIDII Fast. L. III. 419. 420.

*Cæsaris innumeris quos maluit ille mereri  
Accessit titulis PONTIFICALIS HONOS.*

#### §. IV.

Quod si nunc illi, penes quos suprema facrorum et religionis potestas erat, veræ religionis amantes et studiosi fuissent, multum certe ad eam inter homines servandam, stabilendam, propagandamque conferre potuissent. Verum infelici fato res longe aliter cessit. Etenim et ipsi Principes, et qui ab eorum arbitrio pendebant populi, in turpem idolatriam prolapsi, oblitterata omni fere veræ religionis memoria, idolorum cultum publicis quoque legibus stabilive-

re

re, atque sic ut recte monet Autōr libri Sapientiae C. XIV,  
16. *Tyrannorum imperio figmenta culta fuere.* Cumque  
quālibet fere gens, sua, sibi propria Numina, peculiaremque  
ea colendi rationem effinxerit, tantum abest, ut a receptis  
et legibus stabilitis Sacris, alienos esse subditos suos, permi-  
serint Principes, ut potius quālibet gens, sue religionis,  
suumque rituum studiosissima siterit, atque ad eos non fo-  
rum omnia reipublicae membra vi et poenis coegerit, sed et  
in aliter sentientes graviter animadverterit, imo peregrinos  
ritus, vel plane prohibuerit, vel non nisi postquam a summo  
magistratu probati essent, licitos existimaverit. Exempla  
memorabilis est, quae Dan. III. de Nebucadnezare potentissi-  
mo Babyloniorum Rege habetur historia. Auream is ingen-  
tis magnitudinis statuam, quae num Naboponassarem? aut  
ipsum Nebucadnezarem? aut verum Israëlis Deum referre  
debuerit? nunc non inquiero, quae omnium subjectorum re-  
ligioso cultui proponeretur, confici curavit, poenam forna-  
cis ardantis iis comminatus, qui eam genibus flexis adora-  
re recusarent. Quod cum Danielis socii, Sadrach, Mefach,  
et Abednego facere nollent, accusati apud Regem, quod  
nec Deos ejus colerent, nec statuam auream adorarent, illico  
in fornacem ardente coniecti, ex eo tamen miraculoso Dei  
auxilio, liberati fuere. Impios et idololatricos Iudeorum  
Reges, in eos, qui eorum Sacra improbabant, suppliciis ani-  
madvertisse, Scriptura haud obscure innuit, dum eos *san-*  
*guinem innocentem effudisse* memorat. 2 Reg. XXI, 16. Apud  
Athenienses, ad publica Sacra defendenda, juramento se ad-  
stringere omnes tenebantur; cuius juramenti formulam ex-  
hibet STOBÆVS Serm. XLI, p. 241. de Republica: Non

ignominia officiam arma Sacra, neque deseram meum astitem  
quo cum junctus fuero. Dimicabo PRO SACRIS et profa-  
nis, sive solus, sive cum multis. - - - Quod si quis leges,  
vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam,  
sed ulciscar, tam solus, quam cum pluribus. SACRA QVOQVE  
PATRIA COLAM; Horum Dii mihi testes et consilii sunt.  
Inter leges DRACONIS haec quoque teste PORPHYRIO  
de Absin. IV. erat: θεσμος αἰωνίς τοῖς ἀτθίδα νερομένοις  
κύπροις, τὸν ἀπαντα χρόνον θεός τιμᾶν καὶ ἡρώας ἐγχωρίες ἐν  
κοινῷ ἐμπονηροῖς νόμοις πατρίοις Lex est antiquissima aeterna,  
que autoritatis in Attica, venerandos esse Deos atque heros  
patrios et indigenas publice, secundum patrias sanctiones. Et  
ISOCRATES Orat. Areopag. eo præcipue nomine veteres  
Athenienses laudat, quod nihil facile eis in riibus mutaverint, ὥν αὐτοῖς οἱ πρόγονοι παρέδωσαν quos eis majores  
tradidissent. Hinc severae illæ poenæ, quibus in eos ani-  
madversum fuit, qui a patria religione recederent. SO-  
CRATES capitisi eo nomine damnatus fuit, quod Deos civi-  
tatis non coleret. Αδικεῖ Σωκράτης, ἔτι μὲν η πόλις νομίζει  
θεός, εὶς νομίζειν; ἔτερα δὲ καὶ δαιμόνια εἰσηγείμενος.  
Peccat Socrates, quod eos, quos ex majorum instituto civitas su-  
scipit, Deos esse neget; alios autem novos Deos inducat. Ita  
se habebat accusatio contra eum a Melito prolata, apud  
DIOGENEM LAERTIVM Vit. Philoſ. L. II. C. V., qui  
pariter de THEODORO quodam C. IX refert, eum ἀσεβεῖς  
accusatum, parumque absuisse, quin in Areopagum abduce-  
retur; imo Ambicratem scribere, eum damnatum fuisse, ac  
venenum hauiisse. CICERO de Nat. Deor. L. I. C. XXIII.  
aliud hujus severitatis Atheniensium exemplum refert de

Pro-



Protagora. Abderites Protagoras, Sophistes temporibus illis vel maximus, quem in principio libri sic posuisset; de Divis, neque ut sint, neque ut non sint habeo dicere, Atheniensium ius-  
su, urbe atque agro est exterminatus, librique eius in concione combulti. **DIAGORAS MELIUS**, quod mysteria evulgaf-  
set, ab Atheniensibus proscriptus, eique, qui eum interfecis-  
set, unum, qui vivum adduxisset, duo talenta promissa fuere.

**ARISTOPH.** Av.

Τῇ δε μέντοι δράματι μάλιστι ἐπαναγορεύεται  
Ὕπο ποστείη τις ώμαν Διαγόραν τὸν Μήλιον  
Δαμβάνεω Τάλαντον.

Hoc tamen die præcipue sœpius edicitur.  
Si quis vestrum interficerit Diagoram Melium  
Ut accipiat Talentum.

ad quæ verba conferri debent, quæ SVIDAS ex interprete  
**ARISTOPHANIS** habet: Athenienses per Praeconis vocem  
promulgarunt aduersus Diagoram, et in ærea columna scri-  
pserunt, ut ille quidem, qui eum interfecisset, talentum acci-  
pere; ille vero qui vivum adduxisset, duo. Hoc autem pro-  
mulgatum fuit propter ipsius impietatem, quia mysteria narra-  
bar omnibus, ea evulgans et extenuans, et illos qui volebant initia-  
ri, avertiens. Ob eandem rationem **ALCIBIADEM** accu-  
fatum fuisse, tradit PLVTARCHVS, et ASCHYLYM vītæ  
discrimen adiisse, memorat EVSTATH. Comment. in Ari-  
stot. Ethic. L. III. C. I. nisi ad Dionysii aram fugisset, atque  
Areopagi auxilium implorasset. Et quanquam Athenenses  
Deos quoque peregrinos, θεές ζέυς live ζευκτός colerent,  
Id tamen non licebat, nisi ex consensu et decreto Areopagi.  
**HARPOCRATON** in Lexico, ad ISOCRATIS Areopagit.

B 3

notas

notavit: ἐπιθέτος ἑρταῖς Ἰσοκράτης Ἀρεοπαγίτικῶν, τὰς μὲν πατρίσ, ἄλλας δὲ ἐπιψηφιστούσας ἐπιθέτος ἐνδέλευτον. Aliunde in vectas, adscititasque ferias, Isocrates in Areopagitico, vocarunt eas, quae non essent patriæ, sed aliunde decreto confirmatae. Dicebantur autem ab ipsis ἐπιθέτοις, adscititia, quae licet non essent patriæ, tamen Senatusconsultus Areopagiticus iusta declaravit, sicut manifestum facit Lysias in Apologia ad scriptum Mixidemi. Unde quoque Paulus Apostolus, tanquam qui peregrinos Deos annunciat, coram Areopago accusatus fuit. Act. XVII, 18. 19. Eadem autem, quæ Græcis fuit de non tolerandis aliis quam suis, iisque publica autoritate probatis Sacris, mens, aliis quoque gentibus hæsist. De Scythis refert Iosephus contra App. L. II. eos ex Græcia reversos Anacharsin interemisse, quod Græcorum Deos coleret, additique Persas pariter in eos qui a Sacris suis alieni erant, supplicii animadvertisse. Non alienum erit, ipsa Iosephi verba, quamvis paulo prolixiora sint, hic legenda dare. Ita sepe habent, edit. Aurel. p. 1079. „Atheniensis, vero, qui communem esse suam gloriantur omnibus civitatibus, quomodo de his rebus habuerint, Apollonius ignoravit. Hi namque vel verbo solummodo præter illorum legem de Diis loquentes, inevitabiliter punierunt. Cujus enim rei gratia Socrates est mortuus? non enim hostibus tradidit civitatem, neque templo vastavit, sed quia nova juramenta juravit, et quoddam dæmonium significasse refrigerabat, serio seu ludens, sicuti quidam dicunt, propter hoc cicutæ poculo morte mulctatus est. - - - Et Socrates quidem civis Atheniensis ejusmodi tormenta sustinuit. Anaxagoras autem Clazomenius fuit; et quia existimantibus Atheniensibus solem esse Deum, ille eum saxum ignitum, affe-

afferuit, paucorum sententia morte damnatus est. Et ad  
 versus Diagoram Melium, talentum decreverunt, quis oc-  
 cideret eum, quoniam eorum mysteria deridere ferebatur.  
 Protagoras autem nisi cito fugisset, comprehensus occisus  
 fuisset, eo quod dubium de Diis Atheniensium conscripsisse  
 putabatur. Et quid oportet mirari, si circa viros fide di-  
 gnos talia gesisse noscantur, qui neque mulieribus peper-  
 cere? Etenim Sacerdotem quandam interfecerunt, quo-  
 niā eam quidam accusavit, peregrinos colere Deos; de-  
 cretum autem adversus eos, qui peregrinum introducerent  
 Deum, supplicium mortis inferebat. - - Quin et Scytha,  
 cædibus gaudentes humanis, et paululum differentes a be-  
 stiis, arbitrantur tamen sua mysteria esse custodienda; Ana-  
 charsin sapientia mirabilem apud Græcos advenientem inter-  
 nemerunt, quoniam videbantur Græcorum Deorum ad eos ve-  
 nisse plenissimus. Multos autem et apud Persas invenias  
 pro ea causa tormentis affectos. etc. De Persis certe con-  
 stat, eos ingenti odio idola omnia prosecutos fuisse; unde  
 Xerxes, e Gracia in Persiam revertens, omnia Græcorum  
 et Babyloniorum templa dirui jussit, quemadmodum ex  
 STRABONE, HERODOTO, DIODORO SICULO, refert  
 PRIDEAVX Hist. Iud. T. I. L. IV. p. m. 240. 241. Idem  
 quoque de Ægyptiorum templis fieri jussit Cambyses, atque  
 Sacerdotes Ægyptiorum, injuriis, aliquique malis plurimis af-  
 fecit. Vid. Celeb. IABLONSKI Panth. Ægypt. Prolegom.  
 §. LXIII. p. CXLVII. Ægyptii vero ipso, ob diversa, quæ  
 civitates adorabant numina, quæque inviolabilia et Sacra  
 quælibet civitas aliis civitatibus volebat, non solum perpe-  
 tua fere mutua odia exercuerunt, sed et sœpe illa odia, in  
 aperta eruperunt bella. Vid. PIGNORIUS in exp. mens.  
 If.

*If.* Imo cum aliquando Romanus quidam apud eos selem interemisset, nulla ratione adduci potuerunt Ægyptii, ut vitae ejus parcerent. Vid. *Allg. Welt-Hist.* T. I. C. III. S. II. §. 529. *AVGVSTINVS* quoque de *Civit. Dei L. XVIII.* C. V. de Serapide refert: *Constitutum fuisse de eo, ut quisquis eum hominem dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam.* Si *CICERONI* fides habenda est, Galli omnium religionum intolerantissimi fuerunt, de quibus *Orat. pro Fontejo C. IX.* ait: *Quæ nationes tantum a cæterarum gentium more ac natura dissentunt, quod cæteræ pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omnium religiones; istæ in bellis gerendis ab Diis immortalibus pacem ac veniam petunt; istæ cum ipsis Diis immortalibus bella gesserunt.* Videtur mihi tamen *CICERO*, hic paulo iniquior in Gallos esse, ut eo felicius Fonteji causam defenderet. Quantum enim de Gallorum antiquiorum moribus constat, non alia contra reliquarum gentium religiones bella gesserunt, quam quidem Persæ, diruendo omnia idolorum in provinciis devictis templo.

### §. V.

Sed dispiciendum nunc nobis quam maxime est, quænam Romanis, qui tantam in innocuos Christianos exercuerunt crudelitatem, de diversorum Sacrorum tolerantia vel intolerantia mens steterit. Et in primis quidem hujus reipublicæ initis cautum fuit, ne alia, quam publica Magistratus autoritate probata Sacra facere liceret. Id non solum ex eo constat, quod Romulus, novæ quam fundavit Reipublicæ, sua eaque singularia Sacra, peculiaremque Deorum cultum præscriperit, sed quod et sepe peregrina Sacra legibus vetita fuerint. Certe Posthumius Consul, dum con-

contra Bachanalia verba faceret, hoc in majoribus laudat,  
 quod peregrina Sacra urbe prohibuerint, apud LIVIVM L.  
 XXXIX. C. XVI. Quoties hoc patrum avorumque ætate ne-  
 gotium est magistratis datum, ut SACRA EXTERNA  
 FIERI VETARENT, Sacrificulos, vatesque foro, circo, ur-  
 be, prohiberent, vaticinos libros conquerirent, comburerentque,  
 OMNEM DISCIPLINAM SACRIFICANDI, PRÆTER-  
 QVAM MORE ROMANO ABOLERENT! Iudicabant  
 enim prudentissimi viri omnis divini humanique juris, nihil  
 aque dissolvendæ religioni esse, quam ubi non patrio sed exter-  
 no ritu sacrificaretur. Videntur mihi tamen jam illo ipso  
 tempore, quo hunc majorum in exterminandis peregrinis  
 Sacris zelum Posthumius laudat a pristino illo rigore remit-  
 tere coepisse, atque peregrina Sacra privatim, re tamen pri-  
 us ad Senatum delata, et ejus consensu impetrato, fieri per-  
 mississe. In reliquum deinde, inquit LIVIVS, S. C. caurum  
 est, ne qua Bachanalia Romæ, neve in Italia essent; si quis  
 tale Sacrum solenne et necessarium duceret, nec sine religione et  
 piaculo, se id omittere posse, apud Prætorem urbanum profi-  
 teretur, Prætor Senatum consulteret, si ei permisum esset cum  
 in Senatu centum non minus essent, ita id Sacrum faceret, dum  
 ne plus quinque sacrificio interessent; neu qua pecunia commu-  
 nis, neu quis magister Sacrorum neu Sacerdos esset. Lubet  
 hic ipsa verba antiqui hujus S. C. exhibere, ex Cl. BYN-  
 KERSHOEKII *Dissertatione de relig. peregr.*

MARCVS L. F. S. POSTVMIVS L. F. COS. SE-  
 NATVM CONSOLVERVNT. N. OCTOB. APVD  
 ÆDEM DVELONAI. SC. ARF. M. CLAVDI. M.  
 F. L. VALERI. P. F. Q. MINVCI. C. F. DE BAC-

C

CANA-

CANALIEVS. QVEI FOEDERATOI ESSENT.  
 ITA. EX. DEICENDVM. CENSVERE. NEI. QVIS  
 EORVM BACANAL. HABVISE VELET. SEI.  
 QVES. ESENT. QVEI SIBEI. DEICERENT. NE  
 CESVS. ESE. BACANAL. HABERE. EEIS. VTEI.  
 AD PR. VRBANVM. ROMAM. VENIRENT. DE  
 QVE. EEIS. REBV. VBI. EORVM. VTR. A. AV  
 DITA. ESENT. VTEI. SENATVS. DECERN  
 RET. DVM. NE MINVS. SENATORIBVS. C. AD  
 ESE. P. R. A. RES CONSOLORETVR. ETC.

Erat igitur apud Romanos duplex quasi religio, altera priva  
 torum, quorum quivis Sacra sibi propria sequi poterat, mo  
 do ejus rei libertas ipsi a Senatu concessa esset. Altera pub  
 lica, quæ proprie religio erat imperii et réipublicæ, et se  
 cundum quam omnia solennia publica a magistratu fieri ope  
 rebat. Certe **VALERIVS MAXIMVS L. I. C. III.** id  
 exemplo **LVCTATII** ostendit. **Luctatius**, qui primum **Pur**  
**nicum bellum** conficit a **Senatu** prohibitus est **fortes fortunæ**  
**Prænestinæ** adire. **Auspiciis enim patriis, non alienigenis**  
**rempublicam administrari oportere, judicabant.** **CICERO de**  
**Leg. L. II. C. 8.** hanc quasi majorum legem refert: **Separ**  
**tim nemo habessit Deos neve novos: Sed ne aduenas, nisi pub**  
**lice adscitos, privatim colunto, vel potius uti recte mihi le**  
**gem hanc restituisse videtur WARBURTONVS, Göttl.**  
**Send. Mor. T. I. L. II. C. VI. p. 445.** **Separatim nemo ha**  
**bessit Deos: neve novos, neve aduenas, nisi publice adscitos pri**  
**vatim colunto.** Et **DIONYSIVS HALICARNASS.** **Antiqu. Rom. L. II. p. m. 91.** ita refert: **Quoniam innumeræ na**  
**tiones in eam urbem convenerint ὅς πόλην αράγον σέβει τα**  
**πατρίσιες θεούς τοῖς ἐνοδευτοῦσιν, quibus necesse sit Patrios**  
**Deos,**

Deos, domes<sup>t</sup>ico ritu colere, nulla tamen peregrina Sacra sunt recepta publice, id est, in publicam Romanorum religionem recepta. Imo Romanos sepe quædam peregrina Sacra tolerare noluiss<sup>e</sup>, exempla docent apud **VALERIVM MAXI- MVM I.** c. ubi Cornelium Hispallum Prætorem peregrinum commemorat, qui Chaldæos intra decimum diem abire ex urbe et Italia juss<sup>e</sup>rit; qui eos, qui Sabazii Iovis cultu simulato, mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repertere coegerit; Æmilium Paulum Consulem, qui cum Senatus Isidis et Serapidis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet, posita prætexta securum arripuerit, templique ejus foribus inflixerit. Cæteroquin tamen satendum est, Romanos successu temporis omnium fere gentium sacra publice quoque Romæ fieri permisisse, utpote qui devictarum a se gentium Numina, Romæ publice coli voluerunt. Undique, inquit Cæcilius apud Minucium hostipes Deos querunt, et suos faciunt, aras exstruunt etiam ignotis Numinibus et manibus. Unde **LVCANVS L. VIII.**

833. Ægyptum sic alloquitur.

*Nos in Sacra tuam Romana recipimus Istin  
Semicanesque Deos, et sifra jubentia luctum*

*Et quem tu plangens hominem testaris Osirim.  
Et eleganter PRUDENTIVS adv. Symmachum I. 346. seq.  
canit:*

*Innumeros post deinde Deos, virtute subactis  
Urbibus, ex claris peperit fibi Roma triumphis.  
Inter fumantes templorum armata ruinas  
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,  
Et captiva domum, venerans ceu Numina, vexit.  
Hoc signum rapuit bimaris deffrage Corinthi;*

C 2

Illud

SENT.  
QVIS  
SEI.  
T. NE  
VTEI.  
DE  
AV  
ERNE  
AD  
priv  
t, mo  
a pub  
et se  
opor  
III. id  
m Pa  
rtun  
nigen  
RO de  
epara  
si pub  
ihil le  
Göttl.  
no ha  
os pri  
An  
ræ na  
w reg  
Patrios  
Deos,



Illud ab incensis in prædam sumvit Athenis;  
 Quasdam vieti dedit capitii Cleopatra canini  
 Effigies; quasdam, domitiis Hammonis harenis,  
 Syrtica cornutas facies habuere tropæa.  
*Roma triumphantis quoiens Ducis inclita currum*  
*Plausibus exceptit, totiens altaria Divum*  
*Addidit, et spoliis fibimet nova Numina fecit.*

Unde TERTVLLIANVS, *Apologet.* Cap. VI. recte ita in  
 illos invehitur. *Etiam circa ipsos Deos vestros, quæ perspe-  
 cte decreverant Patres vestri, iidem vos obsequientissimi rescidi-  
 fisis.* Liberum Patrem, cum mysteriis, Consules Senatus au-  
 thoritate, non modo urbe, sed universa Italia eliminaverunt.  
*Serapidem Iisdem et Harpocratem, cum suo Cynocephalo, ca-  
 pitolio prohibitos inferri, id est, curia Deorum pulsos, Piso &  
 Gabinius Coss. non utique Christiani, eversti etiam aris eorum  
 abdicaverunt, turpium et otiosarum superstitionum vita cohiben-  
 tes.* His vos restitutis, summam maiestatem contulistis. *Ubi  
 religio? ubi veneratio majoribus debita a vobis?* Laudatis  
 semper antiquitatem et nove de die vivitis. Videntur vero  
 Imperatores Romani, ad pristinam contra peregrina Sacra  
 feueritatem redire voluisse. Tendit certe eo consilium a  
 Maecenate Augusto datum, apud DIONEM CASSIVM Lib.  
 LII. pag. 490. *Deos quoque semper et ubique ita cole, ut mo-  
 ribus Patriæ receptum est, ad eundemque cultum alios compelle.*  
*Peregrinarum vero religionum autores, odio et suppliciis pro-  
 sequere, non Deum modò gratia, quos qui contemnit, haud  
 dubie nihil quoque aliud magni faciet, sed propterea etiam quod  
 qui nova Numina introducunt, multos ad peregrinis legibus  
 utendum petlicant; inde coniurationes, coitiones et conciliabu-  
 la existunt, res minime unius principatui commodæ.* Itaque  
 neque

neque Deorum contemtorem, neque præfligiatorem ullum tolerabis. - - Philosophiam quoque profitentes, cavere te jubea. Et vere quoque coeperunt Imperatores quædam peregrina Sacra, saltem in ipsa urbe Roma edictis prohibere. AGRIPPA, imperante Augusto, *Sacra Ægyptia*, quæ iterum in urbem jam insinuabant repressit editio, ne quis ea in suburbano intra D. passus ageret. DIO CASS. Lib. LIV. p. 525. et SVETONIVS de Augusto C. XCIII. hæc habet: *Peregrinarum ceremoniarum, sicut veteres ac receptas reverentissime coluit, ita cæteras contemtu habuit.* - - At contra, non modo in peragranda Ægypto paullum deflectere ad visendum Apin supersedit; sed et Cajum Nepotem, quod Iudeam præterverens, apud Hierosolymam non supplicasset, collaudavit. TIBERIVS vero, referente eodem SVETONIO in Tiberio, Cap. XXXVI. externas cærimonias, *Ægyptios Iudaicosque ritus competituit, coati qui superflitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere.* Iudaorum Iuventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris cœli distribuit; reliquos gentis ejusdem, vel similia sectantes urbē submovit, sub poena perpetuae servitutis, nisi obtemperassent. CLAVDIVS Druidarum sacris fæse infestum præbuit, apud SVETONIVM in Claudio Cap. XXV. *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis et tantum civibus sub Augusto interdistam, penitus abolevit.*

## §. VI.

Ex iis vero quæ haec tenus, de Romanorum circa peregrina sacra agendi ratione, disseruimus patet, eos quod ad diverfarum religionum tolerantiam attinet, non satis sibi constitisse, eamque interdum amplioribus, interdum arctioribus

C 3

limi-

limitibus circumscriptisse; imo eo tempore, quo Christiana religio fere in imperio Romano manifestare coepit, paulo se- veriores fere, quibusdam peregrinarum gentium Sacris exhibere coepisse. Cum tamen nihilominus certum sit, eos plerisque gentium Sacris fere indulgentes praebuisse, et postquam orbis imperium adepti essent, omnibus per provincias gentibus Deorum suorum cultum permisisse, necesse est ut paucis in tolerantiae hujus fundamenta et causas inquiramus, quod non parum ad argumenti in quo versamur, illustrationem conferet. Ubi quidem non possum non quin paucis primo in ea animadvertisam, que illustris a BYNKERSHOEK de argomento hoc habet *Dissert. II. de cultu relig. peregr. apud vet. Rom.* in cuius exordio mirabilem, nec veritati fatis consentaneam odii religionis apud diversas gentes, genesis pandit: *Odium religionis*, inquit, *non peræque olim omnes gentes infecerat, ut manc inficit.* Quæ aliqua animi magnitudine censabantur, non tam proclives in illud odium, quam quæ pusilliioris erant animi, his enim naturale est odisse qui a se dissentient, cum maxime in causa religionis. *Ex Aegyptio origo mali;* de Aegyptiorum hac in re odio erga vicinos facete dixit Iuvenalis Satyr. XV, 34. seqq. Inter finitimos etc. Hoc odium Iudei ex Aegypto deportarunt in Syriam - - - Christiani partim a Iudeis orti, etiam in hisce sibi nimium indufere, contra dissentientes ad ipsam furcam et crucem rabiosi potius quam religiosi. Ex illis odii Aegyptiaci haeredibus prognati Turcae, qui aliorum impatientes, sibi solis, ne religione quidem excepta, omnia vindicant avidi. - - - Plus olim magnanimi, atque adeo clementiores hac in parte, Persæ, Graeci, Romani; fere ut hujus mali immunes fuisse dixeris. Nolo jam in eam me quæstionem immittere, num major apud Per-

fas  
cas  
nus  
erg  
tol  
dan  
sed  
nata  
Iuda  
mur  
odic  
plici  
habe  
quan  
gula  
duce  
bis p  
dicar  
gnis  
hanc  
rem a  
rat, i  
ob p  
popu  
ter se  
Salter  
fueru  
Poster  
bant,  
rio Iu

fas, Græcos, et Romanos, quam Iudæos, Ægyptios et Turcas reperiatur animi magnitudo, cum non solum ex hac tenus dictis pateat, eos non eandem semper tolerantiam, nec erga omnes religiones exercuisse, sed et mox ostensurus sim, tolerantiam religionum ab his gentibus exercitam, non cùdam animi magnitudini, qua reliquis gentibus præstiterint, sed longe aliis causis tribuendam esse; Id vero falso puto, natales hujus mali apud Ægyptios querendas esse, a quibus Iudæi hac quasi tabe affetti, eam Christianis et Turcis communicaverint. Ægyptii certe non majori in dissentientes odio laborarunt, quam Perse, et Græci, qui capitalibus suppliciis in eos animadverterunt, qui patria sacra contemtui haberent, quemadmodum §. præcedenti vidimus; et quam Israëlitarum religio Ægyptiis abominationi esset, singulari tamen animi magnitudine illis in terra Gosen pacatam ducere vitam permiserunt. Iudæorum vero in reliquo orbis populos, non tam odium, quam contemtus, non haereditaria quedam ab Ægyptiis accepta labes fuit, sed ex magnis illis privilegiis et prærogativis oriebatur, quibus Deus hanc gentem in V. T. dignatus erat, quam sibi in peculariem assumerat populum, qua tanquam instrumento usus fuerat, in exercendis justissimis in Cananæos judiciis, et quam, ob proditum ex illis Messiam, a reliquo orbis terrarum populis, separatum servare voluit. Ob hec omnia insolenter fesse efferre Iudæi, reliquasque gentes despicer solebant. Saltem Iudæi nulli genti ob religionem molesti et graves fuerunt, qui suam religionem, sibi solis tanquam Abrahami posteris datam, magnoque id, gentibus honori esse existimabant, si per Profelytismum ipsis insenserentur; cum e contrario Iudæi, ob eam quam sibi propriam habebant religionem,

gra-

gravissima s<sup>e</sup>pe non solum odia, sed et supplicia a gentibus et praeципue Regibus Syriæ, et inter eos ab Antiocho Epiphane experti et perpeſsi fuerint. De Christianis, persecutio[n]es religionis causa exercentibus, nimis longa evaderet disputatio, si omnia quæ huc pertinent exponere vellem. Id unicum tantum dicere licebit, illos in eo magnanimes illos, si Diis placet, Romanos imitatos fuisse, a quibus ob diversa quæ profitebantur Sacra, antea adeo severe et crudeliter tractati fuerant. Turcæ vero non aliam ob rationem in alia sacra facientes fievierunt, quam quod a Mahomedæ novæ illius religionis Autore, alias vi cogere jussi fuerint. Cæteroquin nunc, postquam res eorum firmatæ et stabilitæ sunt, omnia fere Sacra libere fieri permittunt.

### § VII.

Aliæ igitur nobis rationes querendæ sunt, quibus tolerantia vel intolerantia religionum apud Gentiles, præcipue vero Romanos tribuenda est. Quarum quidem primam in eo sitam existimo, quod omnes circa VERITATEM in religione penitus fuerint indifferentes, et omnium gentium religiones æque bonas et Numini æque gratas existimare maluerint, quam in earum veritatem aut falsitatem studiose aut cum cura inquirere. Quamquam enim primi Romani paulo alter sentisse videantur, posteriores tamen de quibus nunc proprius agimus, maximam partem ab hac sententia alieni non fuerunt. Si enim Philosophos excipias, qui ea QVÆ VERA essent investigabant, et de meliori post fatalem horam vita, quædam, et si obscura et multis adhuc obsita disputabant, reliqui omnes in cultu Deorum non tam veritatem et melioram post mortem fata, sed longe alia, pacem scilicet reipubli-

cæ,

ce,  
tine  
nec  
tes  
diffi  
gior  
puls  
feren  
soc  
quo  
quo  
svs  
ra' T  
rav.  
ra' I  
priv  
spe  
Sau  
religi  
parito  
leran  
toler  
erat  
genti  
tiqua  
repet  
tur. S

ce, et commoda temporalia spectabant, et modo haec ob-  
tinarentur, caetera non multum curabant. Romani igitur  
nec reliquarum gentium contemnebant Sacra, nec aliæ gen-  
tes Romanorum Deos despiciebant, qui in errore consensus  
diffidia omnia removebat. Si quis autem veritatem in reli-  
gione unice sectaretur, eamque solam rejecto errore, et de-  
pulsis ignorantia nebulis, sequendam duceret, illum non  
ferendum reliqui judicabant, quemadmodum ex exemplo  
**SOCRATIS, PROTAGORÆ,** aliorumque patet. Id ipsum  
quoque erat, quod in Iudæis, ipsis intolerabile videbatur,  
quod solam religionem suam veram existimarent, uti **CEL-  
SUS** apud **ORIGINEM L. V.** id exponit: ἐ μὲν δὴ κα-  
τὰ ταῦτα περισέλλοιεν Ἰεδαιοὶ τὸν ἴδιον νόμον, & μεμπτὰ δι-  
νῶν, ἐκείνων δὲ μάλλον τῶν καταλιπόντων τὰ σφέτερα, καὶ  
τα' Ἰεδαιῶν προσποιημένων. ἐ δὲ τι σοφώτερον εἰδότες σε-  
μινονταί τε, καὶ τῶν ἀλλων κοινωνιῶν εἴχοσθε καταράντες  
τηρεῖσθαι - - & μην δὲ εὐδοκιμεῖν παρὰ τῷ θεῷ καὶ σεργε-  
θεῖσθαι. Φαίδιαφόρος τι τῶν ἀλλων τετταγές εἴνειος. Quod igitur in  
religione non veritatem quaererent gentiles, sed omnia Sacra  
pariter recta et bona judicarent, haec prima erat mutua tolerantiae causa.

### §. VIII.

Iungimus huic alteram mutuae inter gentiles religionum  
tolerantiae causam, quæ in illa quæ omnibus gentibus recepta  
erat opinione collocanda est, qua cuilibet provinciæ, cuilibet  
genti et populo suum eique privum credebant esse Deum. An-  
tiquus inter gentiles error, et ex ipsis idolatriæ primordiis  
repetendus, cuius quoque vestigia in Sacris Literis reperiuntur. Sane populi quos Rex Assyriæ loco Israëlitarum, novos

D

inco-

incolas Samariam miserat, cum a Leonibus vexarentur, hand calamitatem inde derivabant, quod ignorarent אלהי הארץ 2 Reg. XVII, 26. cuius tamen cultum, cum idolorum suorum cultu, componi posse putabant. 29-33. In literis Rabsake ad Hiskiam ita gloriatur: *An liberarunt Dii gentium, QVILIBET TERRAM SVAM e manu Regis Affyriæ? Ubi sunt Dii Hamath et Arphad? ubi sunt Dii Stephanavaim? et an Samariam liberarunt e manu mea? Quis ex omnibus DIIS TERRARVM ILLARVM est, qui liberaverit TERRAM SVAM e manu mea? An Iehova liberabit Hierosolymas e manu mea?* Cum vero existimarent Deos hosce alterum alterius gloriae non invidere, modo non negligenteret, sed suus quoque ei honos servaretur, hinc omnium illorum Deorum cultum inter se componebant, et si quis Deus de adorantium negligentia quereretur, ut iram ejus averruncarent, placandus erat. Ridicula satis est de Augusto historia apud SVETONIVM C. XCI. Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Iovi, affidue frequentaret, somniavit queri Capitolinum Iovem, cultores sibi abduci, seque respondisse: *Tonantem pro Ianitore ei appossum; ideoque mox tintinabulis fastigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant.* Romani igitur postquam plerasque orbis terrarum provincias subjugasset, omnium illarum Deos ad se quoque pertinere judicabant; utpote quorum provinciae nunc pars essent Romani imperii; Imo devictarum gentium Diis, suorum Deorum nomina imponebant, ut eas ad communem Romanorum Numinum cultum eo facilius perducerent. Observat id Illustris de MOSHEM, *Instit. Hist. Eccl. Maj. Sac. I. P. I. C. I. §. XVIII. p. 58.*, atque exemplo a Numinibus Galliae petito illustrat. Colebant Galli antequam Romanis legibus parerent, Deam quant-

quandam nemoribus, aquis, feris animalibus et venationibus præpositam; cui nomen *Arduenna* seu *Arduina*. Divana hanc cum Romani cernerent, idem fere munus gerere, quod Diana inter Græcos et Latinos administrare putabatur, confidenter negabant, eam a Diana sua differre, nec modo Diana nomine publice salutabant illam, sed etiam iisdem affectiebant honoribus, quibus Romæ et in Græcia Diana coli solebat. Galli nihil horum temere fieri arbitrabantur, eamque ob causam Divam quam diximus, Romano simul et Gallico nomine *Dianam Arduinam* nuncupabant, cultuque ex novis Romanorum et antiquis majorum institutis temperato placabant. Qui ita de Diis et cultu Deorum sentiunt, eodem communis erroris vinculo uniuntur.

## §. IX.

Addimus tertiam mutuæ inter gentiles religionum tolerantiae rationem. Nulla scilicet falsarum religionum a sui cultoribus postulabat, ut pro ea mortem et supplicia subire non detrectarent, sed etiamsi suorum Sacrorum quælibet gens tenacissima esset, tamen si alia a Magistratu, et quidem sub gravi poena proponerentur Sacra, plerumque dissimulationem et obedientiam suadebat. Certe ipsi Philosophi, qui cultus Deorum ineptiam et stoliditatem probe perspiciebant, tamen ab iis sibi abstinentum esse non existimabant. SENECA gravis Philosophus, postquam satis libere et copiose Deorum apud Romanos cultum ut stultitiae plenum reprehendisset, tandem indignam tali philosopho sententiam edit: *Quæ omnia, inquit, sapiens servabit, tanquam legibus iusta, non tanquam Diis grata.* - - - *Omnem istam ignobiliter Deorum turbam, quam longo aro, longa superstitione con-*

D 2

gescit,

gesit, sic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem, quam ad rem perire. Vide fragmentum Senecæ apud AVGVSTINVM de Civit. Dei L. VI. C. X. Mirumne vero videri potest, eos qui ita sentiebant, mutuam exercuisse tolerantiam? Tolerare, qui tibi non contradicunt, non magnæ virtutis est. Quæ vero eorum Philosophorum inter gentiles fuerint fata, qui erroribus aperte et sine metu se opponere, atque ab inepio Deorum cultu, avocare homines voluerunt, jam supra §. V. ostendimus.

### §. X.

Hæ vero ipse rationes, ob quas mutuam erga se in vicem tolerantiam exercere poterant gentiles, simul causas in se continent, quare christianam religionem non ferendam existimarent. Scilicet I. prima hæc et præcipua religionis christianæ cura est, homines ab erroribus quibus quasi obsepti et occoecati sunt, ad veritatis cognitionem, a vitii quibus humanum genus immersum jacet, ad virtutem pietatemque revocare, idque eo fine et scopo, ut relictis vanis præsentis Seculi curis, animum ad coelestia attollant, et ad beatam æternitatem præparent. Longe igitur alia erat, eaque præstantior christianis, quam omnibus gentilibus mens. Veritatem quærebant in religione, et virtutem quæ sola ad superos dicit, in qua religionem gentiles si quosdam philosophos excipiās, haftenus non collocaverant, sed in ineptis quibusdam in Deorum gratiam suscep̄tis ceremoniis, quæ dum ad veritatis lucem protrahebantur, falsa, inepta, et stulta reperiebantur. Accedit II. quod Christianis non sufficiebat, sibi solis sapere, et de agnita veritate tacite in sinu suo gaudere, sed ex præcepto Domini tenebantur, totum mundum erroris arguere, atque gentiles

titles hortari, ut sese convertant a tenebris ad lucem, a potestate Satanae ad Deum Act. XXVI, 18. Sane si Christiani clanculum aliter sensissent, et veritatem tanquam adhuc in medio positam, cum Philosophis censuerint; vel si secundum legem Posthumii, ea quae de veritate in Christo sentiebant, Prætori declarassent, et ut secundum eam, non tamen spretis Romanorum Sacris, Christum colere, ipsis liceret, flagitassent, forte fatis indulgentes Romanos habituri fuissent. Verum longe aliter Christus praeceperat, qui non solum publicam nominis sui professionem, inter mundi odia, et gravissimas persecutiones jussiferat, sed et volebat, ut, quam ipsis tradiderat veritatem, tanquam solam salutiferam toti mundo commendarent. Quam ægre hoc Romani tulerint, et quantum propterea Christianis indignati fuerint, CÆCI-  
LIVS testatur apud MINVCIVM C. V. VI. Itaque indi-  
gnandum omnibus indolescendumque est, audere quosdam, et  
hos studiorum rudes, literarum profanos, expertes artium eti-  
am sordidarum, certum aliquid, de summa rerum ac majestate  
decernere, de qua tot omnibus Seculis Sectarum plurimarum  
usque adhuc, ipsa philosophia deliberat - - - quanto venera-  
bilius ac melius, antißitem veritatis, majorum excipere discri-  
plinam, religiones traditas colere, Deos, quos a parentibus  
ante imbutus estimere, quam nosse familiarius, adorare; nec  
ante numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere, qui ad  
huc rudi Seculo in ipsis mundi natalibus meruerant Deos. vel  
faciles habere vel Reges? III. Quæ de Diis suis gentiles  
credebat, ita erant comparata, ut omnes simul coli possent,  
nec unius Dei cultus, cultum alterius necessario tollebat.  
Longe alia erat fides Christianorum, quæ Deum colendum  
proponebat, qui in honoris sibi soli debiti participatum alia

prætensa ac ficitia gentilium Numinis admittere solebat. Admissa igitur Christiana religione, renunciandum erat omni idolorum cultui, in exilium pellendi illi Dii Lares et Penates, quos magna religione venerabantur Romani; destruenda ficitiorum Numinis simulacra, et abolendi a majoribus traditi ritus. Hoc vero utut per omnia Sanctum, et ipsæ sanæ rationi consentaneum Christianorum postulatum, impium et intolerandum judicabant Romani. *Itaque, inquit CÆCILIVS apud MINVCIVM, cum omnium gentium de Diis immortalibus, quamvis incerta sit, vel ratio vel origo, maneat tamen firma consensio; neminem fero, tanta audacia, tamque irreligiosa, nescio qua prudentia rumescentem, qui hanc religionem, tam vetustam, tam utilem, tam salubrem diffolare aut infirmare nitatur.* Et Imperator DIOCLETIANVS, in edito contra Manichæos, apud illustrem van BYNKERSHOEK, de relig. peregrina Opusc. Tomo II. p. 207. *Nt que reprehendi a novâ vetus religio deberet; maximi enim criminis est, sed tractare, (verba hæc in mendo cubant, forte, retractare) quæ semel ab antiquis tractata et definita sunt, statum ac cursum tenent ac possident. Ingens igitur illud quod Romanorum inter et Christianorum Sacra intercedebat discrimen, quod tantum erat, quantum est inter verum et falsum, inter veritatem et mendacium; et quod Christianis discrimen hoc silentio premere non licet; sed potius ex mandato Domini obligati essent, omnibus idolorum cultibus æternam Dei iram annunciare, præcipuum erat intollerantie Romanorum erga Christianos fundamentum.*

### §. XI.

Accedebant vero quedam adhuc circumstantiae, quæ nascentem Christi populum Romanis invisum redi-

reddebat, eorumque animum vehementer exacerba-  
bant: *Mirabilis scilicet Christianæ religionis per totum qua-*  
*late patebat orbem propagatio*, adeo ut cum primum inno-  
*tescerent Romanis, jam quoque ingenti et metuendo nume-*  
*ro ubivis reperirentur, adeo ut desolata jam essent templa,*  
*et rarissimus viëtimarum emtor inveniretur; Constantia*, qua  
*Christum mediis in cruciatibus et tormentis profitebantur*  
*Christiani, adeo ut dirissima quævis pati, quam vel latum*  
*unguem ab obedientia Domino debita recedere, aut fidem*  
*ipsi datam frangere, mallent, quod cum PLINIO, puniendam*  
*perviciaciam et inflexiblem obstinationem existimabant;*  
*Pia Christianorum, et a Seculi genio et moribus maximo-*  
*pere aliena vita, qua impium gentilium mundum condem-  
nabant, illique sues in oculis erant. *Amant enim, uti ex*  
*vero Servator pronunciat, homines magis tenebras, quam lu-  
cem, quia opera eorum mala sunt Ioh. III, 19.* Adde nunc  
hisce omnibus calumnias, quibus, nihil tale merentes, onera-  
bantur Christiani, et quas eo facilius ac lubentius credebant  
Romani, quo magis Christianorum Sacra, suis adversa ani-  
madvertebant; aliasque, a nobis in praecedenti dissertatio-  
ne allatas persecutionum causas, et habebis omnes illas ra-  
tiones, ob quas Christianos una cum Sacris suis odio profe-  
quebantur Romani.*

### §. XII.

Querent forte, qui hæc legent, qui factum sit,  
quod gentiles et præcipue Romani, *Iudæorum Sacra*,  
quæ tamen æque uti Christianorum, ab omnium gen-  
tium Sacris discrepabant, præcipue cum Iudei non minus  
quam Christiani, suam solam veram crederent religionem,  
nihilominus toleranda judicaverint, neque in eos simili cru-  
delitate

delitate animadvertere, eorumque religionem extirpare co-  
nati fuerint? Quod quidem paucis expediam. Et *primo*  
quidem nemo ignorat, Iudeos reliquarum gentium odia sa-  
pe expertos fuisse, imo Antiochum Epiphanem propositum  
habuisse, totam gentem excindere, et ut Sacris suis nun-  
tium mitterent, eadem fere in eos crudelitate, qua Romani  
in Christianos, fæviisse. Sed *secundo*, multis gentilibus ea  
erat persuasio, Iudeorum Iehovam esse terræ Canaanis tu-  
telare Numen, nec a Diis suis multum discrepare, unde ejus  
cultum cum Deorum suorum cultu componendum existima-  
runt 2 Reg. XVII, 26-41. Et quia Iudei templum, Sa-  
cerdotes, sacrificia, festa, externa ceremoniarum pompa ce-  
lebranda, habebant, hinc multi credebat, Iudeorum Sacra  
a Sacris gentium non tantopere discrepare. Imo ipsos Ro-  
manos, de Iudeorum religione tale quid suspicatos esse plu-  
ribus Autoribus probari potest. *TACITVS Hist. L. V.* sibi  
non satis constat: *Effigiem, inquit, animalis, quo monstrar-  
te errorem simique depulerunt, penetrali sacravere - - Septi-  
mo die otium placuisse ferunt - - Alii honorem cum Saturno  
haberi, seu principia religionis tradentibus Idæis, quos cum  
Saturno pulsos, et conditores gentis accepimus - - - Hi ri-  
tus quoquo modo industi, antiquitate defenduntur - - - Iu-  
dæi, mente sole, (venerantur) unumque numen intelligunt - -  
summum illud et æternum, neque mutabile, neque interitu-  
rum. - - - Sed quia Sacerdotes eorum tibia tympanisque con-  
cinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea, templo reperta,  
Liberum patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati  
sunt. Et quibusdam interjectis, *Cn. Pompejus templum ju-  
re vitoriae ingressus est. Inde vulgatum, nulla intus Deum  
effigie vacuam sedem, et inania arcana.* *PLUTARCHVS*  
*Symp.**

Symp. L. IV. Q. V. multis argumentis probandum suscipit, Bacchum a Iudeis coli, qua in opinione quoque videtur fuisse. FLORVS, dum His. Lib. III. C. V. de Pompejo scribit: *Hieroslymam defendere tentavere Iudei, verum hanc quoque intravit, et vidi illud grande impiæ gentis arcanum patens, sub aureo viuem cœlo.* Alii, Asinum et Porcum ab illis adorari. PETRONIVS

*Iudeus licet et porcinum Numen adoret  
Et Cilli summas advocet auricular.*

Verum tertio, praeter hanc aliqualem Iudeorum, in extensis faltem religionis ritibus, cum reliquis gentibus similitudinem, præcipue observandum est, quod Iudei devicta erant a Romanis gens, quæ sua jam ab omni ævo propria Sacra habuerat. Iam vero Romani viatores, hanc devictis gratiam facere solebant, ut eorum ipsis ritus et Sacra relinquerent. Christiani vero non devicta erant gens, sed noviter inter Romanos ingenti numero oriebantur, atque omnium aliorum Sacrorum ruinam, sècum trahere credebantur.

### § XIII.

Quis vero, qui hæc omnia æqua animi lance pendit, non nobiscum sentiet, æternum Romanos nomini suo sic inuississe opprobrium et dedecus? Christiani, fateor, erroris arguebant, illum plurium Deorum cultum, quo gentiles omnes delectabantur; verum an propterea merebantur ad ultima statim supplicia et quidem inhumano cum furore, et inaudita crudelitate trahi? An non idem ante Christianos, plerique saniores Philosophi docuerant, et eo ipso quoque, quo tantopere in Christianos fævitum est, tempore, statuebant? Nonne Romana virtute magis dignum fu-

E

isset,

isset, omnia, quæ de Christianis rumor ferebat, accurato examini subjecere, nec eorum propterea doctrinam contemnere, quod Romanorum majores aliter de rebus divinis stauerint? In iis, quæ Deum, quæ veritatem, quæ religionem, quæ quam homines merito reverendam habent, conscientiam concernunt, non autoritate humana, aut majorum institutis standum, sed sincerum, et quale homines ratione a Deo donatos decet, veri examen instituendum, ei que renitente licet orbe assentiendum est. Transeo alia, quæ quilibet ex iis quæ haftenus dicta sunt, facile colligere poterit.

#### §. XIV.

Quam vero pulchre, mediis e calumniarum quibus obruebatur, tenebris ac suppliciorum opprobiis, emergit, et innocentiae puritatisque suæ radios quoquaversum spargens, magnifice sepe ad fidera effert christiana veritas? Licet igitur paucis tantum adhuc ostendere, quam, ipse hæc quibus in Christianos a Romanis fævitum fuit, persecutio-nes, eximum pro veritate religionis Christianæ præbeant argumentum. Et primo quidem, nihil hic evenit Christianis, nisi quod Magister eorum, divino quo agitatatur Spíitu, ipsis eventurum, prædixerat. *Ecce ego mittio vos, ut oves in medium lutorum; - - Cavete vero ab hominibus; trahent enim vos in confessus, et in conventibus suis flagellabunt vos; sed et ad Praefides ac Reges ducemini mea causa;* - - et eritis ex os omnibus, propter nomen meum. Matth. X, 16-21. Si ex mundo effesti, mundus quod suum est amaret; quia vero ex mundo non esisti, sed ego elegi vos ex mundo, propterea adit vos mundus. Memento sermonis illius, quem ego dixi vobis:

vobis: : Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Ioh. XV, 19. 20. Veniet tempus quum quisquis vos interemerit, putet se cultum præstare Deo. Ioh. XV, 2. Divina igitur Servatoris futurorum præscientia, et prophetiarum ejus veritas, sic quasi sigillo quadam obsignata fuit. **II.** Quod scite TERTVLLIANVS, de Nerone: non nisi aliquod bonum grande ab eo damnari potuisse; id vere de omni ejus Sæculi Romano orbe dicere licet. Suspecta merito videri posset Christiana religio, si ad Neronis, ad Domitiani, ad reliquorum iis fere similium procurum palatum fuisset; et longe major tum adforet ratio patrum honorifice de ea sentiendi, quam nunc, cum eos damnationis suæ dedicatores naœta est. **III.** Tanto magis, cum qui meliores inter Romanos erant, perspecta religionis Christianæ veritate, eam amare, eam colere, ei nomen dare, eam publice profiteri, ejus veritatem sanguine obsignare, pulchrum et gloriosum existimaverint. Hinc ingens ille Christianorum martyrum veritatem hujus religionis testantium ac mediis in cruciatibus, tot eximia pietatis, virtutis et sanctitatis specimina edentium numerus, \* de quo alibi fuissemus egimus; hinc ipsi, qui accuratius in Christianorum res inquisiverunt Imperatores, vel cum Trajano, et Hadriano, innocentiam eorum testati sunt, aut cum Antonino eorum pietatem laudarunt, eosque gentilibus sanctiores meliores que declararunt. **IV.** Imo Servator noster optimus maximus, se mediis in his persecutionibus, ecclesiæ quam suo fibi sanguine redemit, potentissimum et veracissimum Protectorem ostendit, promissum suum implendo, quod por-

E 2

tæ

\* Conf. Dissertationes nostræ de argumento, quod pro divina relig. Christ. origine a Martyribus defumi solet.

tae inferorum ei non prævalituræ sint. Ex omnibus enim hisce persecutionum fluctibus, feliciter tandem eluctata est ecclesia, et sanguis Christianorum eorum semen evasit. Quod tanto minus sine Numine fieri potuit, cum Christiani malorum omnium patientissimi et tolerantissimi fuerint, neque vim vi repellendam, aut ad sua Sacra alios cogendos esse, sed ea potius unice argumentorum pondere hominibus commendanda existimaverint.

## §. XV.

Hæc igitur ferio et sæpe ad animum revocemus, quotquot Christo nomen dedimus, atque dum cogitamus quanta olim majores nostri, pro fide nobis tradita perpetræ sunt, tales nos omni opera et studio formemus, qui aliquando, si Domino id itavimus fuerit, eadem ob nomen ejus pie et fortius pati possimus. Talia eheu! vivimus tempora, in quibus a vera christianæ religionis indole, continuo magis defleunt Christiani, et non nisi de præsenti Sæculo solliciti paucissimos tantum pristinæ illius virtutis et pietatis martyrum exhibent imitatores. Solent ejusmodi in immensum crescentes ἐπιθυμίας καρναλικά imminentium Dei judiciorum esse præcursorēs, et forte non adeo longe absimus, a tempore illo temptationis, quod venturum est in orbem universum, ad explorandos incolas terræ Apoc. III, 10. Deus igitur omnis gratiæ, qui nos ad æternam suam gloriam in Christo Iesu vocavit, velit nos perficere, stabilitire, robora-re, fundare; Ipsæ sit gloria et robur in secula seculorum. Amen.

NO.



NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO  
RESPONDENTI  
S. D.  
PRAESES.

A quo tempore, e schola nostra Fridericiana, solidissimis praesidiis instructus, ad academiam accesisti, talem TE in omni vitae genere exhibuisti, quales omnes eos cupio, qui studio Theologico, et evangelii in ecclesia Dei ministerio sese consecratos volunt. Nulla sane in re partibus TVIS defuisti. Asiduus per integrum triennium scholis meis, quibus Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Hermeneuticam S., Theologiam Catecheticam, Introductionem in libros N. T., precepta eloquentiae Sacrae, aliaque plura exposui, interfueristi, TEque ex illis profecisse, demonstra-

stratum dedisti; animum mihi pium, et veri recti-  
que studiosum, optimamque indolem probasti, et  
moribus ad omnem honestatem et modestiam com-  
positis, omnium TIBI favorem conciliasti. Quod  
uti impense laetor, ita quoque TIBI, imo potius  
mibi gratulor; cui nihil potest accidere optatus,  
quam multos TVI similes, e scholis meis dimitte-  
re, de quibus patricæ et ecclesiæ pulchra et eximia  
promittere possum. Supremum autem Numen  
ardenti prece veneror velit TE continuo magis  
ad omnem ornatum veri Ministri Evangelii for-  
mare, conatibus TVIS ac laboribus quibus ad  
eximum et præstantissimum munus TE præparas,  
clementer ex alto benedicere, iisque incrementa  
longe amplissima, ad Nominis sui gloriam, TV-  
AM felicitatem, multorumque salutem largiri.

Dabam in Regia Viadrina d. XVIII. Martii  
MDCLV.



Frankfurt a. O., Diss. 1751-55.



W 18 kat 72





B.I.G.

Black

White

3/Color

Red

Magenta

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Farbkarte #13

Centimeters

DE 1755, 2a 13/1  
**PERSECUTIONVM**  
**ANIS CONTRA CHRI-**  
**ANOS EXCITATARVM**  
**TIO PERIODICA POSTERIOR**  
QVAM  
PRAESES  
HENRICVS DANIEL STOSCH  
CT. EIUSDEMQUE IN ACAD. VIAD. PROF.  
ECCL. REFORM. INSPECTOR ET PAST.  
, ALVMN. TRANSYLV. EPHORVS ET  
FRIDERICIANAE CVRATOR, FA-  
LT. THEOLOG. h.a. DECANVS.  
ET  
RESPONDENS  
S IACOBVS HOFFMANN,  
FRANCOFVRTO MARCHICVS.  
O ERVDITORVM EXAMINI  
SUBMITTVNT  
MARTII MDCCCLV.



UNCOFVRTI AD VIADRVM,  
CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYP. 6 R.